



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *QUI A PUERIS* CATHEDRALE TEMPLUM NERITONENSE, IN ITALIA,**

**AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. Qui a pueris beatissimam Virginem Mariam, Christi Matrem, amare, honorare, atque colere pectore ab imo suevimus, nullam sane occasionem omittimus huius tenerrimae Matris gloriam, nomen, cultum augendi: nam, praeter quam quod est Maria Virgo Dei parens, nullo umquam inquinata peccato, est etiam caelorum Regina, atque filiorum suorum patrona fidelis. Quam ob rem, cum Venerabilis Frater Antonius Rosario Mennonna, Episcopus Neritonensis, iam preces admoverit, sive suo sive suorum sacerdotum ac populi nomine, ut cathedrale templum suae dioecesis, B. M. V. sacrum Assumptae in caelum, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur: esse enim illud nobilitate, arte, monumentis perinsigne, atque religione erga caelestem Matrem venerabile; Vos, re bene considerata, rati praeterea fore, ut attributus honor pietatem in Deum in eiusque Matrem in pectoribus alat, adhibitis precibus aequo animo concedimus. Quare, iis adprobatis, quae de re Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, statuerit, placet templum cathedrale dioecesis Neritonensis in Basilicis Minoribus annumerari, factis nempe iuribus ac liturgicis privilegiis talium templorum propriis, mudo ea servata sint, quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» poscit, die VI mensis Iunii, anno MDCCCCLXVIII, factum. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Iunii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana